Oratio Epidictica in laudes Hyemis. XXXIX.

Utrum contraria ijs, quæ hyberno tempore
sentio, deprædicanda, laudibusque exornanda, quæ
vituperanda videntur, et quæ plebs falsa putat,
vera esse demonstranda mihi assumerem, diu, multumque
dubitavi Aud. Religiosiss. Cum etiam vulgus res
utilitate probet, et utile nil, nisi quod, ut bruta
animalia sensibus externis apprehendere potest, male
sibi persuadeat, certè hyemem si laudare voluero,
vel frigus calefacere, vel frigidiora nive proponere
eis videbor: maximè verò cum id, quod incredibile illi
apparet, persuadere; quodue iam altas in eius pectore radices
agit evellere, et mentem tot falsissimis contra hyemem opinionibus
imbutam emundare, non minus negotij, laborisque allaturum
sit, quam si Augiæ stabulum unius spatio quadrantis expur-
gare, aut Hydræ plura capita uno quis ictu demetere
attentaret; attamen sit difficillimum probare plebi, quod vix
percipit aut sensu apprehendere remissum, sit artis eadem
vera, quæ tamen falsa videntur persuadere, sit ingentis denique
laboris altas ex eius animo malarum opinionum radices evellere,
extirpare, ejicere, vestra tamen Aud. benevolentiam,